

fieri videtur propter pronunciationē, nām quoties vo-  
lo has & similes pro particularibus haberi, deprimō  
signum universale, particulam negantem verò elevo,  
eique in pronunciando immoror: cum verò pro uni-  
versalibus negantibus haberi debent; elevandum est  
in pronunciatione signum, & deprimenda particula  
negans.

TH. XII. An vox *Multi* ad signa universalia vel  
particularia referri debeat, quæri potest. Sunt qui  
dicunt, quod vox *Multi* ad signa particularia referri  
debeat, quasi hoc etiam particularitatem ad significet,  
& consequenter particularem enunciationem consti-  
tuat, unde cum dico: *Multi homines damnantur*, sen-  
sum esse dicunt, *Quidam homines damnantur*. Verùm  
hanc sententiam difficultate non carere putamus, nam  
tò *Multi* rectè etiam adhiberi potest, quando de nulla  
particularitate sermo est, sic rectè dicitur: *Multi sunt  
vocati*, id est, maxima multitudo, & tamen omnes sunt  
vocati. Similiter quando dicitur: *Multi qui dormi-  
unt in terra, evigilabunt*, hic etiam adhibetur vocabu-  
lum *Multi*, cum tamen intelligantur omnes, (quod  
autem in illa universalitate mortuorum resuscitando-  
rum, adhibetur vocabulum *Multi*, hæc reddi solet ra-  
tio, ut simul pateat, illorum omnium magnam esse  
multitudinem) Dicendum igitur videtur, tò *Multi* per  
se abstrahere ab universalitate & particularitate, & im-  
portare saltim multitudinem, non attendendo an o-  
mnes an quidam tantum eā comprehendantur, quam-  
vis pro materiæ diversitate soleat modò restringi ad  
universalitatem, modò ad particularitatem, neutrām  
tamen formaliter importare autem amus.

C

TH.